

1  
JOANNIS ALBERTI BANNI  
DISSERTATIO  
EPISTOLICA,

DE  
MUSICÆ NATURA,  
Origine, progressu, & denique  
studio bene instituendo.

AD  
*Incomparabilem Virum*  
PETRUM SCRIVERIUM,  
*Polyhistora.*



*Lugduni Batavorum,*  
EX OFFICINA ISAACI COMMELINI.  

---

CLC IC XXXVII.

3

# Syllabus capitum hujus Dissertationis.

- I. **P**oësis res ingeniosa, ac Musica sub-  
alterna.
- II. Numeri Poëtici & Musici differentia.  
Ex Musica ignorantia, plurima Autho-  
rum commenta.
- III. Occasio & ratio indagationis Musicae.
- IV. Causa hujus Commentarioli de Musica  
conscripti.
- V. Musica à natura est: perfectio ab arte.  
qualis apud Græcos fuerit.
- VI. Quomodo Ars creverit. Quæ scripta  
Græcorum ac Latinorum de Musica.
- VII. Præcipui inter veteres Euclides, Boë-  
thius, & Beda. Melopœja Veterum qualis.
- VIII. Melior ac facilius. Methodus Gui-  
donis Aretini: ex quâ imperfectarum con-  
sonantiarum inventio, ac præcepta Com-  
positionis prodierunt.
- IX. Qui è recentioribus Musicam perfec-  
erint, rectiusque tradiderint.
- X. Summa Musicae sex Capitibus recensita.
- XI. De Systemate.
- XII. De tribus generibus Musicae.
- XIII. De Modis ac Circulis.
- XIV. De Modulamento.
- XV. De Compositione.

XVI. De arte Cantandi.

XVII. Perfectio nostræ Musicae. Græcorum historiae de ratione ac energia Musicae, à Pythagora decantatæ, suspectæ fidei sunt: quod ex Modorum Dorij ac Phrygij constitutionibus probatur.

XVIII. Petri Gregorij Tholosani & aliorum opiniones refutatae ex ipso Boethio.

XIX. Natura Dorij ac Phrygij ex ratione intervallorum.

XX. Quid sit Spondaicum Carmen ac Modulamen.

XXI. Quid sit, Spondeum succinere.

XXII. Modulamenti energia. Unde falsitas Historiæ Græcæ sit.

XXIII. Aliud commentum Athenæi de Ionico Modo rejectum.

XXIV. Disciplina Musica ex principiis Scientiæ, & elementis Artis petenda. Zarlinus unicus Phoenix inter alios scriptores seligendus. Illius Compendium ingeniose ab Artusio concinnatum. Viriusq; lectione Musica addiscenda: sex Capitibus, supra §. x. enumeratis, perficienda.

XXV. Vberior & accuratior Musicae Doctrina necessaria. Cujus Methodus promittitur.

JOANNIS AEBERTI  
BANNI

DISSERTATIO  
EPISTOLICA,

DE  
MUSICÆ NATURA,  
Origine, progressu, & denique  
studio bene instituendo.

AD  
*Incomparabilem Virum*  
PETRUM SCRIVERIUM,  
*Polyhistora.*

I:



AM à multis re-  
tro annis, Vir  
Clarissime, in-  
ter nos sermo  
subinde fuit de  
Musica, arte pla-  
ne divina, cui me addicunt  
non ignorabas. Et cum de

de Poësi sermo, cujus Laurea, doctorum virorum calculo & votis, inter cæteros excellis, (ut de aliis eruditissimi ingenii tui dotibus nihil dicam) aliquoties discursum cōsiderationemq; Numeri Poëtici varia syllabarum quantitate constantis; ingessisset; tandem  $\Theta\epsilon\iota\omicron\nu\ \tau\iota$  Poësin continere, ad tractandas explicandasque res, mira narrationis aptitudine, vocabulorum selectu, sermonis proprietate, nervosa orationis connexionem, iusta, syllabarum quantitate, elegantissimo modulationis fluxu, pulcherrimoque singulorum ordine, concludebatur. Tum de Lyrico modulamine frequens mentio erat, cujus tantas laudes veterum scriptorum monumen-

ta celebrant, ut jam passim doctissimis viris persuasum sit, Musicam Poëticæ, vel potius Poëticam Musicæ facultati subalternam esse. Argumentum vero assertionis ipsa Numeri ratio suggerebat.

II. Et de Numero quidem tum edissererebam paucula, sed quæstionis propositæ difficultatem sine mora absolventia. Nimirum Poëticum numerum in sola syllabarum quantitate, quæ ex vocalium ac consonantium litterarum qualitate ac mixtione oritur, consistere: Musicum vero numerum, sonituum tempora ac intervallorum durationes metiri dicebam; quibus verborum, ex arte eloquentiæ pondus ac vim habentium justa pro-

nunciatio, ad movendos animi affectus, planissime absolvitur. Suum cuique arti inesse enthufiasmum; non quidem scriptorum authoritate, sed ex ipsis rei principiis probabam. Et cum hoc Argumentum latius essem profecutus; quid de Authoribus Musicis, & tradita ab illis disciplina sentiendum esset, quærebatur. Verum rem detrectabam velut cum odio conjunctam, qua doctorum virorum invidiam subire sine causa, verebar. Sine causa, dixi; nam Musicæ apud plerosque tam exigua est notitia, ut apud ipsos Professores, hæc duo, quibus illius scientia cõstat, rarissime inveniantur cõjuncta; Theoria scilicet & Praxis. Unde rem

ut in principiis scientiæ, vel elementis artis continetur, utque ex illis educitur, Professores illius non tractant: sed ex alterius defectu in gravissimos errores impingunt. Cum autem docti viri, veterum monumenta evolventes, utriusque rei notitia sæpissime destituantur; quid quæso præter Grammaticas observationes, aut Historiarum commenta, acri tamen narratione, ac censura, hominum animis infigunt? quibus si quis ex transverso contradicat, an invidiæ arrogantique notam prima fronte effugere possit, vide. Utique ea hominum, rerum, temporumque conditio perpetua est, ut obsequium amicum, veritas odium pariat.



III. Cum autem hoc Anno sub finem ætatis, cum expertissimo viro D. Gregorio Plasio, Medico excellentissimo, in suburbanum prædium tuum, amplissimum amœnissimumq; excurrissemus; ubi ex natura loci Musarum sedes, otij opportunitas, studiorumque delitiæ sunt; quod sanè eleganter *Woelwijck* linguâ vernaculâ (Latine *Cura-fugium* liceat dicere) indigetasti: post doctissimas rarissimasque tuas in Horatium, Iuvenalem, Persiumque auditas expensasque animadversiones, quibus loca obscurissima ac corruptissima primogeniæ sinceritati ac veritati restitueras; iterum iterumq; propositus de Musica sermo est; & quam olim  
de

de Musicæ scriptoribus, ac artis explicatione sententiam subti-  
cueram, promere & eloqui ur-  
gebar. Tum nescio quo instin-  
ctu, ausuque, incepti dicere, &  
summis amicis meis, apud quos  
licere existimabam, asseverare,  
me viginti annorum spatio huic  
disciplinæ singulari amore man-  
cipatum, succisivis horis, à seriis  
studiis deflectentē, operam de-  
disse, scientiamq; & artem pro-  
prio Marte, nulloque Magistro  
adorsum, magno labore, conti-  
nuaque diligentia, varioque ar-  
tificum colloquio, Theoriâ ad  
artem deductâ, didicisse. Quo-  
ties mihi volumina Aristotelis,  
Justiniani Imperatoris, ac Tho-  
mæ Aquinatis, quibus tum o-  
peram dabam, è manibus sepo-  
nere,

nere, Boëthium, aliosque con-  
venire, amor Musicæ imperavit:  
Difficultas verò & intricata ve-  
terum narratio, sæpissime ite-  
rum Musica volumina, tan-  
quam re desperatâ, manibus  
meis excussit. Et tandem adhuc  
amor, oblitterato tædio, rem fa-  
cilem reddidit. Poëtæ vox me  
frequentissime animabat,

— *Amor omnia vincit  
Improbis, & duris urgens in rebus  
egetas.*

Audeo dicere, post longam  
indaginem, me in variis Pro-  
vinciis ac Regionibus commo-  
rantem, paucissimos, imò ne-  
minem invenisse, qui difficulta-  
tes Musicas mihi expedire po-  
tuerit, nisi sola illa diuturna, la-  
boriosa, indefessa ac constans dili-

diligentia. Nimirum vim motricem quærebam scientiâ, experienciâque, cognitam habere; quâ Pythagoras, Timotheus Milesius, aliique Paradoxa effecisse narrantur. Ex singulis tamen aliquid audivi. Scopæ dissolutæ erant, simul difficulter conjungendæ. rem tentavi, aggressus hoc modo: Veterum sententias scrutatus sum; Theoremata ac demōstrationes praxi applicui: cum non succederet res, practicos conveni; eorum opiniones, & exercitationes expiscatus sum. sæpissime ipsis suorum, quas ignorabant, rationes factorum ex tempore dedi. Et cum mihi ipsi non satisfecissem, instrumentis rem tentavi; ipsemet praxin exercendo.

cendo, componendo profeci. Libellos varios de re investigatâ conscripsi, mutavi, auxi, correxi. Toties res inventa sub manu mutabatur. Plurimorum Instrumentorum rationes, ac fabricas investigavi. Quarum Theoremata ac Elementa, cum artificibus proponerem, non intelligebant: Mirabantur tamen, & libenter ista audiebant. Mechanici, non liberales erant. habebant formulas sibi à Magistris ac præceptoribus præscriptas, quarum vestigiis inhærebant; & bene; nam sine filo Theseus Labyrinthū non evasisset. Alius tamen alio magis industrius, & manuaria opera expeditior erat. Festinabam lentè, videbamque me proficere, licet

cet ut plurimū desperarem, donec proposuissem immori huic studio. Laborem enim eventus solabatur, & ex mysterio Pythagoricæ literæ affulgebat

Promissa ô! *fessis requies in vertice summo;*

Nam *Qui* (Ennij verba sunt)

*Vicit Olympia, mox senio confectus quiescit.*

IV. Cum verò mihi jam ex diuturnâ exercitatione aliqua-  
lê Musicæ notitiam pepererim, non libens de ea passim verba facio. Horreo enim molestas hominum contentiones, quæ ut plurimum (ingeniosæ quantumvis) de Lana caprina sunt; & ne ungue latius quidem rem promoveant. Maxime in votis foret eâ quam acquisivi Mus-

ces notitiâ, secretus tranquil-  
 lusq; vivere, & amicorum, qui-  
 bus rei hujus arcana subinde  
 ex occasione communico, So-  
 cietate, scenam meam absol-  
 vere. Sed nimium instas, vir  
 clarissime, de Reipub. Chri-  
 stianæ bono mecum expostu-  
 lans, alijsque severis argumen-  
 tis me premens; quasi numini  
 morem non gerens, bonis invi-  
 deam. Acquiescam igitur tuis  
 expostulationibus; sed unum  
 præfari oportet, priusquam ma-  
 num operi admoveam Omnes  
 omnino *μυσοφίλεις* etiam atq;  
 etiam oratos obsecratosque vo-  
 lo, ut dictionis meæ, audaciam-  
 ne dicam, an temeritatem, ne-  
 cessitatemve! æqua mente in-  
 terpretentur: negligentiamque  
 aut

aut potius incitiam sua benignitate, ac doctrina suppleant. Itaque ad rem venio.

V. Homines suapte natura cantabant, antequam industria experientiæ rudimenta in scientiam artemque congefisset. Nihil igitur mirum erit, si longa sæculorum temporumque serie Musica sub incude fuerit. Quæ qualiter ad perfectionem venerit, antiquitas nobis non edisserit. Nimiam enim hujus obscuritatem S. pagina silentio fecit: difficultatem verò varia, & toto penè cœlo distantia, scriptorum dogmata pepererunt. Ciceroni tamen hac in re auscultandum, qui libro primo de Oratore mihi adstipulatur; *Omnia ferè, inquit, quæ sunt conclusa*



nunc artibus, dispersa & dissipata quondam fuerunt, ut in Musicis Numeri, & Voces, & Modi. In omnibus enim ferè antè spei rudimentum, quam rei experimentum fuit, ut Apulejus ait. Penes primos igitur artis, non jam dico Inventores, sed scriptores, Arbitrium erat, & jus & norma loquendi. Inde factum est, ut posterioris ævi scriptores priorum sententias potius retulerint, quam expendere.

Musica initio angusta erat: apud Græcos quatuor Elementis; seu Chordis, primum usitata, donec aliquis alius, inventis a iquid addens,

*Expressit numeris septem discrimina vocum.*

Consonantiæ tres erant simpli-

ces, Διὰ πρῶτων, Διὰ πέριε, Διὰ  
παρῶν. Ex harum mixtione ac  
replicatione tres aliæ ortæ sunt.  
Simplicium molestior investi-  
gatio fuit. Cum transfret Py-  
thagoras casu fabrilem offic-  
nam, ex malleorum ictibus, va-  
ria proportione justî ponderis  
differentibus, auscultasse eas  
primus, & investigasse dicitur.  
Explorando singulorum pon-  
dera, quæ his numeris contine-  
bantur 12. 9. 8. 6. formas no-  
tavit, in quibus solæ multiplex  
ac sesquialtera, proportionés  
continentur. Dupla quidem  
12. ad 6. Diapason seu octa-  
vam; sesquialtera scilicet 9. &  
6. Diapente; sesquitertia 4. ad 3.  
Diateffaron; consonantias: ac  
sesquioctava 9. 8. tonum disso-

nantem à reliquis determinavit. His Elementis veteres Cantilenas suas, adhibitâ numeri, ac temporis varietate, instruebant. Dissimili plane, ac alieno à nobis ritu. Et, quod imaginor, nusquam verò legi, unum generale erat concētus axioma.

Consonantiam placere auribus, dissonantiam intolerabilem esse. nisi consonantiæ antecedentis vel subsequenti dulcedine, justaque earum duratione temperata corrigeretur.

VI. Tum, ut credo, nullæ erant Compositionis regulæ, sed investigatâ consonantiarum naturâ artifices (id mihi, jam scribenti, post longum examen incidit) Cantilenas ex illis proprio libitu aptabant. Et licet con-

sonantia non æqualium ac dissimilium vocum concordia, à Nicomacho definita fuerit: tamen paucitas earum, nullum ex immediata harum consequentia fastidium admisisse videtur. Et sufficiebat modulatio, si consonantiis constaret. Quamvis enim mas & fœmina, viri ac pueri, naturaliter Diapason modulentur; ideoque id artis præcepto doceri non fuerit necesse: tamen varietas aliarum, cum diapason miscendum, consonantiarum artem requirebat, cum suapte natura id homines præstare non possent. Posterioribus sæculis inventio plurium consonantium, quæ super-partienti proportione generantur, artem ipsam certis

regulis ac præceptis, Musicam à confusione vendicantibus instructam voluit. Quid igitur de Musicâ veteris suis libris tradiderunt? Dicam ingenue, nil præter harum consonantiarum naturam, hoc est, proportionum, è quibus nascuntur singulæ, formas. Et quia unum intervallum, suo ambitu continet alterum; ita unius, ad alterius proportionem esse principium vel elementum, demonstrare conati sint. Toni partes *Apotomen* ac *Lemma*, Elementum toni *comma* esse statuerunt; primum scilicet, qui auribus distincte percipi potest, sonum: In hoc enim omnium intervallorum quantitas resolvitur. *Tropos* etiam, licet nimium controver-

sâ narrationis doctrinâ, & tria Modulaminis genera, scilicet *Diatonicum, Chromaticum, & Harmonicum*, suis libris descripserūt.

Omnes Græci atque Latini usque ad annum Christi Ioc. seu septimi sæculi initium, (nullum excipio) in hoc unico argumento fuerunt, & vix aliud quippiam in tradenda Musica præstiterunt. Audi singulorum ordines. Pythagoras, Aristoxenus, Nicomachus, Philolaus, Alypius, Ptolemæus, ex professo Musicam tractarunt. Alij, ex occasione propositi argumenti, eandem attigerunt, sine methodo. Item inter Latinos Vitruvius, in gratiam Architecturæ, ex Aristoxeni scriptis; Macrobius, ratione narrationis  
in

in somnio Scipionis allegatæ ; & Apulejus , ex occasione argumenti in suam propositiōnem ingesti de Musica scripserunt. At Boëthius, Martianus Capella, & Venerabilis Beda, ex professo scientiam Musicæ, demonstrativo, ut vocant, ritu tradiderunt.

VII. Ex his pauci omnino scopum Musicæ attigere. Euclides solus inter Græcos doctiori, breviori, clariori, veriorique ratione ac methodo, Musicam tradidit. Cujus hic syllabus est in Paragraphos digestus: *Sonus, Intervallum, Genus, Constitutio, Tonus, Mutatio, Melopoëia.*

Inter Latinos, è veteribus præcipui sunt Boëthius & Beda. Boëthius primum accuratus

tus veterum interpres, eorundem sententias collegit, examinavit, distinxit, correxit, & conciliavit: Inhæret tamen veterum vestigiis. Characteres quoque sonituum (quorum loco apud nos *notulæ* sunt) tradidit. Deinde Beda, ducentis annis post Boëthium, duplici tractatu, Theoricam & Practicam Musicam scripsit. Doctissima rei explicatio est; sed veterum limites non excessit. Notularum tamen figuras & claves, item scalam Musicam, lineis ac spatiis constantem, tradidit ex usu Ecclesiastico; quem ego à Gregorio Magno Papa introductum arbitror, cui Cantus reformatio, meliori ritu inducta; ascribitur; ip



Cantus, ab ejus autoritate, Gregorianus dictus est. Inde artis rudimenta probamus quæ, temporis successu hominumq; industriâ, perfectiora in lucem emanarunt.

Euclides, Martianus Capella, ac Beda conceptis verbis, de Melopoeja scripserunt, artemque Componendi tradiderunt. Primò quidem Inventionem modulaminis, deinde Compositionem ejus Harmonicam suo more explicuerunt. Res ut antiquitate veneranda est, ita etiam memoriâ dignissima. Difficilis tamen, angusta, & minus concinna est, si cum artis nostræ perfectione conferatur.

I. Ad ea usque tempora imper-

imperfectior erat Musica: nam angustius systema, pauciores consonantias, minorem vocum concentum, difficilioremque modulationem habebat. Circa annum Christi c10 c. sub decimi sæculi finem, Guido Aretinus Monachus & Abbas Benedictinus, Musicus excellentissimus, Veterum scriptis subtilissime ruminatis, meliorem ac faciliorem Musicæ Methodum instituit, Systema amplificavit ΕΙΧΟΝΙΧΟΡΩΝ. Huic posteritas perfectionem Musices debet: quam quidem omninò ipse non absolvit; viam tamen aliis aperuit. Ab eo enim tempore (quo verò sæculo, accurate dicere non possum) imperfectæ Consonantiæ inventæ, ac præce-

pta ampliora componendi Musicam tradita sunt: unde ars ipsa plenior majestatis ac delectationis ad perfectionem nobiliorrem deducta est. Hanc sententiam, alibi mihi non lectam, nec auditam ab aliis, eo collegi argumento, quod amplitudo Systematis plures consonantias requireret; & acutior sonus additus à Guidone, imperfectas à veteribus rejectas (ob dissonantiam gravioris soni, quo auscultabantur) suapte natura proderet: Quarum usus perfectis consonantiis intermixtus, cum delectationem auget, artis præcepta postulabat, quibus cum judicio omne punctum Musicæ absolveretur.

I X. Circa sæculum decimum

mum tertium, Franco Musicus floruit. Post quem Ioannes Tinctoris, Franchinus Gaffurius, & Iacobus Faber Stapulensis fuere, decimo quarto sæculo. Horum operâ ac scriptis, Musica Theorica & Practica mirifice ad perfectionem excrevit amplius. Ab illis regulæ Compositionis, juxta seriem Systematis Guidonici præscriptæ, diuturna que consuetudine observatæ, ad nos pervenerunt.

Tandem Iosephus Zarlinus Clodiensis, Theoriâ ac Praxi instructissimus, (ut alios inferioris notæ præteream) doctissimis institutionibus, demonstrationibus ac supplementis, linguâ Italicâ editis (apud Venetos, anno 1580) Musicam

præ cæteris feliciter tradidit, & absolvit. Prolixior non nihil est, sed eruditione compensat fastidium; ex quo verior Musicæ eruditio haurienda. Ejus Compendium in Tabulas redegit Ioannes Maria Artusius Bononiensis, Italico etiam idiomate: quibus breviter, clare & perspicue rem studiosis proponit. Scripserunt & alij; qui an Zarlinum æquent, nescio: saltem non superant. Id rectè censuit Musarum delictum, vir clarissimus, Martinus Hortensius, Mathematicus excellentissimus, & (quod gloriôr) amicus meus, in accuratissima, de studio Mathematicos instituendo Dissertatione, ad V. Cl. Marcum Zuerium Boxhornium, pridem editâ. Unus

ergo instar omniū erit, sine quo nec veterum sententiæ expediri poterunt, nec perfecta huius disciplinæ notitia facile obtinebitur. Ad perfectionem tamen Musicæ modernæ non accedit.

X. Principia verò seu Elementa, quibus Musica constat, ad sex capita revocari possunt. Primum est Systematis maximi seu universalis constitutio. Alterum in generibus Cantus explicandis versatur. Tertium Modorū numerum atq; naturam examinat. Quartum Modulamenti rationē docebit Quintum præcepta cōponendi tradet. Sextum artem cantandi profitebitur. Hæc capita summam Musicæ completuntur, ab omnibus scriptoribus latissime explicatam. De

singulis pauca commemorabo.

X I. Systema omnium intervalloꝝ à Guidone quidem habemus, sed accuratam illius demonstrationem ex uno Zarlino. Novam verò constitutionem collocatis inter singulos Tonos hemitonis requiro, ut absoluta sit, & efficax ad movendum Musica.

XII. Genera modulaminis tria sunt, *Diatonicum*, *Chromaticum*, & *Harmonicum*. Primum à natura natum, excellentissimum est: duo posteriora ab arte inventa, exigui momenti sunt; & temporis successu, à quibusdam etiam proscrip̃ta, ab aliis neglecta, perierunt. Chromatici aliqualis usus est, & energiam habet, si Diatonico misceatur.

sceatur, ut in Systemate obiter insinuavi; cujus usus nunc floret, præcipue apud Italos.

XIII. Modi (quos Tropos alij, ego Circulos Harmoniæ voco) veluti nervi corporis sunt, quorum ductibus Musica energiam habet. De Tropis, seu Modis, etiam Glareanus scripsit, non ex fundamento scientiæ, sed potius ex Musico- rum praxi; nec Zarlino comparandus venit.

XIV. Modulamentum, Idea, ac πρώτον μουσικῆς Musicae est, cui concentus vocum aptandus. In hujus inventione ac constitutione tota res Musica versatur; eo quod sonitus verborum ac syllabarum quantitati, significationi, & sensui aptandus sit;



ut energiam habeat Musica, Rhetorisque munus subeat, docendo, delectando, & movendo. Hujus supina apud multos est ignorantia: cujus doctrinam haecenus nemo recte explicuit; forte nec intellexit quisquam.

XV. Compositio partium, seu vocum, diverso sonitu concentum reddit. Ejus praecipua ratio est in aptandis dissonis inter consona intervallis. Hujus vulgares leges exstant, mysteria plerosque latent; eo quod dissonorum naturam ac vim inotricem passim ignorent. De quibus recte monuit Hieronymus Frescobaldus, non temere judicandum, etsi communibus & tritis adversentur Artis canonibus; sed consulendam auditus,

ditus, ac rationis, trutinam; cujus ope Paradoxum aliquid demonstrabit experientia.

XVI. *Ars cantandi*, est lectio seu pronuntiatio Modulaminis singularum vocum, ex signis sonituum; notulis descriptorum, facta. Hanc claram, distinctam, fluidam vocis amœnitate, & concinnam verborum ac sonituum recitatione esse oportet, ut Oratoris effectum fortiatur. Vox ipsa, justæ lectionis fundamentum est; diductio verò ornamentum. Illa à natura venit, hæc ab Artis præceptis ac usu; quibus genuinus, propriusque vocalium ac consonantium sonitus, pectore, faucibus palato, lingua, dentibus, labiisque proferendus, articulandusque, ac qui-

quiritur. Methodus hujus artis à nemine hæctenus rectè explicata est, nisi à quibusdam Italis, & per exempla quidem tantum declarata. Musica alia vocalis, alia instrumentalis: utriusque differentia, ac propria natura est. de quibus nunc non agã, ne excrescat Sermo noster. Ipse ego hominẽ desidero, qui Musicam exactè eo, quem breviter attigi, ritu ac modo tradat.

XVII. Sed ut periodum hujus Compendij claudam, ingenuè dico, & religiose assevero, Musicam hanc nostram, Græcorum illam, & priscorum Latinorum alteram, infinitis parafangis sua perfectione, & efficacia excessuram. Et ut de Græcis obiter aliquid dicam,

tan-

tanquam aniles fabulas & stultorum commenta, pleraque mihi suspecta sunt, quæ tam splendide narrantur. Miror etiam à viris doctis passim credi, & scriptis propagari. Id ex Musicæ ignorantia oritur. Vnum è cæteris exemplum adducam, & quidem hoc quod de Pythagora inventore vulgo narratur. Is Phrygio modo, qui incitativus perhibetur veteribus, commotos raptosque in lasciviam adolescentes, & petulantî furore percitos S P O N D E O succinente, compescuisse fertur, & mentis serenitati restituisse. Idem in Alexandro Magno fertur præstitisse Timotheus Milesius. Obvia passim narratio est. Hoc

argumento vis Musica à Modi proprietate apud omnes asseritur. Dorius, inquiunt, gravis ac sententiosus, castusq; dicitur. Consentio. Phrygius iracundus, bellicosus, pugnax, ac furiosus perhibetur. Dissentio. cur? dicam. Dorij Elementa in sonitibus ac intervallis Chordarum *D.F a.d.* constituta sunt, ex recentiorum calculo; è veterum scriptis diducto: quas Chordas, *λίχαν* ὀκτώατων, παρυπάτη μέλων, μέλη, παρανήτη διεζυγμένων, Græci indigitant. Omnes ferè hæcenus unanimiter idem dixerunt, paucis exceptis. Nam in Modorum nomenclatura apud Authores ea diversitas est, ut fabulosæ videantur Historiæ. Inde eorum

natura, ac effectus æque dubius ac fabulosus est, saltem ex Historica relatione. In istis intervallis modesta attentio primum generatur à Hemiditono D. F. (syllabis *re, fa*, exprimendo) postea ab F. ad *a*. Ditonus gravitatem inducit (syllabæ cantabiles, *fa, la*, sunt.) postea ab *a*. ad *d*. Diatessaron est, seu Quarta, medio intervallo, habens semitonium majus, quod ipsius duritiem temperat sententioso quodam ductu. Et hunc esse Dorium Modum, Boëthius satis diserte indicat, cum è speciebus Diapason, seu Octavæ, modos (ut res postulat) educens, à Plagalibus incipiens, ad Authentos progrediendo primo loco Hypodorium ponit, à Chorda

Proflambanomenos (quã Guido A. *re* vocat) Diapason complementem. Deinde tonum ascendens in Hypate Hypaton; (*γ* *mi* nos dicimus) Hypophrygiij constitutionem definit: tum semitonio acumen Systematis intendens, in Chorda Parhypate (quam C. *fa-ut* appellamus) Diapason complendo, Hypolydius ponitur. Horum Authenti seu principales, tono acutioribus Chordis sunt. Dorius itaque in Lichanos Hypaton seu D. *sol-re*, constituendus; Phrygius in Chorda Hypate meson, seu E. *la-mi*. Lydius vero Semitonio acutius Systema habet in Parhypate meson, hoc est F. *fa-ut* collocatur. Dorius itaque eo modo, quo diximus, consti-

tutus, gravis, sententiosus, castusque erit; ejusmodi scilicet materiæ ac sermoni congruens.

XVIIII. Petrus Gregorius Tholosanus lib xii. Syntaxeos Artis mirabilis c. xvii. ex Psello, Aristotele, Plutarcho, Boëthio, & Tyardeo ponit Hypodorium à C. *fa-ut*, usque in G. *sol-re-ut*; Hypophrygium ab eadem Chorda C. *fa-ut*, usque in A. *la-mi-re*; contradicente Boëthio, eo quod singuli Modi unius Toni vel Semitonij gradu acutiorum constitutionem habeant. Ideoque male ponitur. Dorius à C. *sol-fa-ut* in aa. *la-mi-re*, quæ est à Parhypatæ Hypaton in Ne-ton meson; Phrygius verò ab F. *fa-ut* in dd. *la sol*, quæ est à Parhypatæ Meson, ad Paraneton



Diezeugmenon. Fateor quidem Cantum Diatonicum, quem natura docuit, initium sumere apud literam seu Elementum C. adeoque primum ordine naturali Modum inde auspicandum: sed hoc nihil ad gentilitiam Modulaminis proprietatem facit, qua usi fuerunt Diores aut Phryges. Absurditas itaque istius assertionis etiam alio argumento evincitur. Nam Modi Plagij Diatessaron debent esse inferiores ac graviores suis Authentis, ut habet Axioma. Si itaque, teste Boëthio, Hypodorius in A. re, chordam gravissimam habuit. Hypophrygius verò in *B. mi*, ut mox ostendimus, uterque Authenticus Diatessaron seu Quarta altior

esse debet. Dorius scilicet in D, Phrygius verò in E, quæ ex Hypate Meson collocandus est. Accedit & alia ratio, quod Modus à C. *sol-fa-ut*, usque in aa. *la-mi-re*, Diapason non compleat; quod ipsa natura Modi requirit. Tandem quoque in illo Systemate, vel ea constitutione intervallorum, lasciva, amatoria, placida, hilarisq; potius materia rerum reponenda est; ut suo tempore demonstrabo. Dorius igitur ille Modus esse non potest. Similiter ab F. *fa-ut*, in dd. *la-sol*, melius succederet iracundia ac furor, sed defectu; Hemiditoni, qui blandus est, Diapason non impletur; unde major violentiæ ratio est. Ex auctoritate itaq; Boëthij, qui con-

stitutionem Dorij in D, Phrygij in E, recenset, ut luculenter ostendimus, cœteri erroris convincuntur.

XIX. Inde jam ad Historiam de Pythagorâ redeamus, & quam suspectæ fidei sit, dicamus. Phrygio Modo incitatos invenies ad petulâtem furorem, SPONDEO sedatos dicunt. Naturali ratione quis primus, secundus, tertiusque Modus sit; itemque ejus efficacia, compertum est. Sed quis sit ille Modus, quo usi sunt Dores aut Phryges, ex Scriptorum auctoritate solummodo dignoscitur. Inter Scriptores, & Musicos, Boëthius ex veteribus Græcis asserit. Hypophrygium in Hypate Hypaton Chordâ gravissimâ

mâ contineri complendo Diapason. Unde certissime constat, hujus Authentum Phrygium, Diatessaron seu Quarta acutiorrem, loco proprio collocandum, scilicet in Chorda Hypate Meson, quæ nobis E. appellatur. hujus circulus in Chordis F. G.  $\dot{Y}$ . & C ex locis semitoniorum blandus est, non furens, & <sup>primo</sup> quidem intervallo majus semitonium conficit. Secundo Hemitonus, in G. utrumque intervallum ex sua natura blandum ac modestum est: Postea usq; ad  $\dot{F}$ . ditonus est, qui à præcedentibus attemperatus est; ubi terminatur Diapente, seu Quinta; prima scilicet & nobilissima Diapason pars. Ad complendam verò Diatessaron, quæ at-

tera pars est, statim sequitur semitonium majus a **B** ad **C**. itidem suave; inde Ditonus à semitono præcedente temperatus est usque ad **E**. ubi circulus completur. Quis jam non videt ex speciebus seu interval-  
lis, Phrygium iracundum ac incitativum non esse; & juvenes eodem in furiam iramque rapi non potuisse? Deinde solo **Mo-**  
**di** circulo, proprietate, ac phra-  
si, animi affectus moveri non possunt: quemadmodum nec nervis corporis vis potest fieri, nisi animæ vivificantis adsit influxus: ita enim & hic Modula-  
menti spiritu opus est.

XX. At **S P O N D E O** petulantia temperamentum induxit Pythagoras. Hoc dicunt Scri-

ptores, ut omnem Musicæ vim modo inesse probent. SPONDIVS profectò Musicæ Modus aut circulus non est, species Diapason non continet : quam belle igitur ad rem loquuntur Scriptores? SPONDIVS Moduli tarditatem significat ac majestatem : quemadmodum pes poëticus duabus longis syllabis constans, *σπονδει* dictus, nomen usumque à sacrificio, sibiobatione, sodalitate, induciis, ac fæderibus, quæ Græco vocabulo *σπονδή* significantur, accepisse notum est. In his enim actionibus ipsa ratio ritusq; gravitatem sententiarum, pondus dictionis, ac majestatem quandam requirebat. Ideoque longis syllabarum ductibus pondero-

derosa vocabula Poësis adhibebat. Inde *Spondaicum Carmen*; cujus etiam varia est gravitas ex verborum majestate, vel pondere syllabarum. Exempli gratia;  
*Conturbabantur Constantinopolitani.*

Hic versus habet duplicacionem consonantium, reiterationem primarum vocalium *a.* & *o*; quibus pondus explicatur verborum. Non item est in hoc versu, qui levior videtur, Virgili;

*Olli sedato respondit corde Latinus.*

Vel in isto Ovidij;

*Nituntur longo vestigia ponere  
 clivo.*

Adde quod Poëtica censura, Spondaicorum Versuum proprietatem, in duobus ultimis

pedibus constituens, delectum habeat elegantiae, singulos singulis versibus praeficiens, etiam ejusdem Authoris.

Virgilius :

*Cara Deum soboles, magnum Iovis incrementum.*

Idem :

*Cum Patribus Populoque Penatibus & Magnis Diis.*

Hi autem versus inter Spondaicos primo loco habentur, elegantissimique censentur. Sunt alij ejusdem Authoris, quos minoris aestimant.

Virgilius :

*Saxa per & scopulos & depressas convalles.*

Idem :

*Aut leves ocreas lento ducunt argento.*



Hos Poëtæ tanti non habent, eo quod non sint tam fluidi, ut priores. Et tamen plus ponderis ac molis frequentioribus spondeis afferunt, magis ad animos temperandos valent. Sic etiam in Musica Spōdaicus modulaminis<sup>rius</sup>, varius esse potest ex modulamento, & cuivis Modo applicari, licet omnibus non æquè conveniat.

At Dactylici carminis volubilitas diversum ab hoc impetum mentis excitat: Ennij versus est, etiam proprio vocabulo bellicosus:

*Et tuba terribili sonitu Tara tantara dixit.*

Alius item:

*At tuba terribilem sonitum procul excitat horrida;*

*Sidera pallida diffugiunt face ter-  
rita luminis.*

In his omnibus versibus, Hexametri Carminis genus est, & tamen tanta ex numero variegatio oritur.

Magnum argumentum hinc sumo, ut doctis Viris Poësin Musicam persuadeam; quæ Musici-Modulamenti numeris prius certo ordine excogitatis, pedes metricos accommodet; certi carminis lege omnino neglecta. Res elegantissima est, licet paradoxa, alibi fusius enarranda. Quod autem de varietate carminis Hexametri, jam diximus; idem de Musicæ Modis dicendum, quod illis Modulamenti varia ratio adscribi possit, unde moveantur affectus. Cum ergo

Spondeus Modulamenti ratione, hoc est, motus, numeri ac temporis variegatione constet; cuius Harmoniæ Modo, tam Myxolydio, & Hypodorio, imò tam Lydio, quam Dorio applicari poterit.

XXI. *Spondeum* itaque succinere, nihil aliud est, quam gravi ac sententioso modulamine, alicujus aures afficere, & mentem temperare; quocunq; Modo fiat, sive Lydio, sive Dorio; licet natura Modi Dorij, ob dictas à nobis rationes, magis gravitati sententiarum propria sit, quam Lydio, qui acutioribus Chordis, & per Ditonos, ac Tonos Majores procedit; unde major vehementia illi inest.

XXII. Modulamento itaq;

variis sonituum ductibus variato, adscribendum est, quod de Spondaico ritu carminis narratur; non itidem Modo. Nam sine ulla Modi periodo semper modulamentum efficax est: licet magis perstringat, dum certis limitibus à confusione vindicatum, proprietatem dictionis animat. Mirum itaq; in modum explicandæ sunt istæ Historiæ; vel utrovis modo mendaces æstimandæ: scilicet errore rei & vocabulorum, vel impropria ac interdum Hyperbolicâ narratione: quisquis tandem erraverit, Boethius, an alij.

XXXIII. De Ionico Modo quam futilis etiam Historia est. Qui primum Austerus fuit, deinde Lascivus: gens enim illa

mores mutaverat, cùm voluptati se dedisset; inde varietas, ut est apud Athenæum. Et tali commento nobis Ionici Modi naturam enarrant Authores, ut fidem habeamus. *Euge, tuum & belle!*

Vt nunc, ita tunc plurimi Authores Historias cudebant, nec ad incudem revocabant. Legisse uspiam: fat erat ut volumen compleretur. Nulla rerum caussarum, ac circumstantiarum ratione habita, narratio procedebat, hoc est, nullo ordine, distinctione, interpretatione, explicatione, conciliatione (quæ omnia ipsa rerû series luculenter suggerere poterat) habitis.

Apophthegma lepidissimum de Chiapino Vitellio, strenuo illo

illo milite Italo refertur. Cum effigiem suam à pictore quodam delineandam postulasset, artifici, quomodo faciem constitutam vellet, poscenti: Pinge me, inquit, hominem formosum: (deformis erat, & horribilis vultu) post medium sæculum, obliteratedâ mei memoriâ, omnes è manu artificis meâ pulchritudinem admirantes, in veritatem effigiei vel jurabunt. Qualis verò ipse fuerit, ex Epitaphio liquet:

*O Deus omnipotens crassi miserere  
Vitelli,*

*Quem mors præveniens non sinie  
esse bovem:*

*Corpus in Italiâ est; tenet intestina  
Brabantus: (habuit.*

*Est animam nemo. Cur? quia non*

Miles scilicet, ut homines, ita & Numen habebat. Infelix!

Lapsu temporis invaluit eodem modo partim accurata rerum Historia, quæ nunc passim pro vero divenditur. Accedit, quod Scriptores fere, rerum quas narrabant nec scientiam, nec experientiam habebant: frustra sane easdem explicandas suscepturi, aut narratas ad incudem revocaturi.

*Euge! omnes, omnes, bene! mira eritis res,* ait Persius.

XXIV. Centum talia occurrunt in Musica veterum, præcipuè Græca, quæ hominum ingenia mirè torquent; & disciplinæ utriusq; rationem non explicant, sed potius involvunt. Ipsa imperfectio satis arguit difficult-

ficultatem, quam paulatim longo artis usu, hominumque industriâ sublatam videmus. nec unquam magis expedita reddetur hujus scientiæ, artisque Methodus, quàm solida rei ex ipsis Principiis Elementisq; deductione, quæ experientia & optimorum Authorum lectione inclarescet. Vnum Zarlinum præ cæteris commendavi; non quòd aliorum scripta nullius momenti sint; cum multa præclara eruditaque dogmata contineant: sed unum Zarlinum coryphæum dixi. Cum enim Musica ab Authoribus descripta, in plerisque defectum patiatur, magno studio, industria, ac lectione varia supplendum; unum aliquem commendare



nequeo, ex quo hauriant studiosi (pauci etiam totam Musicam Theoricam ac Practicam simul intellexerunt & excusserunt) præter Zarlinum. Is, inquam, præ cæteris doctius, feliciusque, & propemodum solus, rem exsecutus, meo iudicio, videtur. Ordinariæ Praxi deservire præcipue potest Zarlini Compendium à Ioanne Maria Artusio Bononiensi, optima methodo doctissime confectum. Horum Authorum lectio, additis sex Capitulis, breviter à nobis supra explicatis, ad Musicæ Theoriam & Praxin studiosos manu ducet.

XXV. Cæterum, ut ingenuè fatear, requiro adhuc ampliolem Musicæ tractationem, quæ

quæ plurimis novis inventionibus ac regulis, Artis perfectioni deservientibus, constet; qua *Numeri, & Voces, & Modi*, (quorum in principio ex Cicerone meminimus) clarius, profundius, & accuratius explicentur; ut Musica Oratoris officium subeat, finemque illius, docendo, delectando, & movendo consequatur. Hujus aliquam Ideam breviter quidem sex Capitibus constructam ostēdi. Cujus amplio-rem tractationem brevi ac facillima Methodo antehac tentavi, &, si Deo placuerit, eandem feliciter absolvere conabor, amicorum usui imprimis, & bono publico.

Te vicissim, Vir Clarissime, obtestor, ac modestè adhortor,

ut

ut præclara illa præstantissimi ingenij tui monumenta, perennem gloriam memoriamq; habitura, quæ impense omnes desiderant, & tanto quidem magis, quia salivam movisti, amicis ac Reipublicæ Literariæ diutius invidere nolis. Vale, meum & civium tuorum decus. Harlemi Kalend. Octobr. ∞ MDCXXXVI.

*Salutat te officiosissime noster  
Hassius.*

**F I N I S.**